

1.2.22

Idem A. Demostheni pp.

Sancimus res ad venerabiles
ecclesias vel xenones vel monasteria vel
ptochotrophia vel brephotrophia vel orphanotrophia
vel gerontocomia vel si quid aliud tale consortium
descendentes ex qualicumque curiali liberalitate sive
inter vivos sive mortis causa sive in ultimis voluntatibus
habita lucrativorum inscriptionibus liberas
immunesque esse: lege scilicet, quae super huiusmodi
inscriptionibus posita est, in aliis quidem personis
suum robur obtinente, in parte autem ecclesiastica
vel aliarum domuum, quae piis consortiis
deputatae sunt, suum vigorem pietatis intuitu mitigante.
cur enim non faciamus discrimen inter res
divinas et humanas, et quare non competens
praerogativa caelesti favori conservetur?

1 ¶ Quae oportet non solum in casibus, quos futurum tempus
creaverit, sed etiam in adhuc pendentibus et iudiciali
termino vel amicali compositione necdum sopitis obtinere.

Recitata septimo miliario huius inditae civitatis

in novo consistorio palatii Iustiniani.

[a. 529]